

FRANCISCI PATRICII
PANCOSMIAS
LIBER SEXTUSDECIMUS
DE LACTEA.

Galaxiam Græci veteres vocavere, quod Latini Lacteam viam, vel circulum lactetum, vel cingulum appellaverunt. Eius tractatio, tractationi siderum coniuncta esse debet: quia et inter sidera visitur, et sidera in se continet, quibus est interspersa; et sidus quoddam ingens, ipsa videtur, totum cœlum quasi cingere. De ea, magna fuit inter veteres, controversia, quid esset, et ubi esset. Nam alii, eam in cœlo, alii in ære locaverunt. Et Pythagorei quidem crediderunt, cadente e loco suo sidere aliquo, qua cucurrit, totam incendisse regionem, incendiique illius, quasi reliquias ipsam esse. Sunt qui tradiderint, currum patris solis, aurigante Phætonte, extra Solis vias omnia conflagrasse, idque signum remansisse. Metrodorus, iam olim, Solem illac latum. Alii Solis radiorum esse reflectionem. Parmenides, densi et rari esse mistionem quandam, quæ ei lactis et dederit colorem. Anaxagoras, ut ei Aristoteles adscribit. Lucem esse siderum quorundam, ut vero Plutarchus, umbram esse terræ, quando Sol sub Terra est, et non omnes cœli partes illuminat. Democritus, ut Aristoteles, lucem esse siderum quorundam. Ut vero Plutarchus, multarum parvarumque, et vicinarum stellarum, ob densitatem esse collustrationem. Qui vero in ære eam posuere, dixere pars, circulum esse quasi nubem in ære circumtensum. Et quia sit albus, lacteum appellari. Aristoteles tandem docuit esse multæ, et continuatæ exhalationis incensionem. Sed Aristotelis, admirator omnium maximus Aven Rois, quique eum nihil sine forti dixisse ratione contenderat plerumque, in hoc dogmate cum deseruit, et transfuga est factus et ipse alias intulit opiniones. Dixit enim vel apparentiam tantum esse. Vel reflexionem luminum, multarum stellarum in ignem sphæricum, in quo lumina commisceantur. In debilitatem quoque visus retulit, qui parvas illas stellas nequeat comprehendere. Vel etiam partem cœli esse dixit, quæ a stellis illis parvis lumen recipiat quod multiplicetur ob earum multitudinem, et lumen earum quasi conduplicet, et commisceat. Post hunc e Peripato alii, duplicem eius rei attulerunt causam, orbis spissitudinem, et parvarum multitudinem stellarum. Recentiores Astronomi, partim Democriti sententiam sunt secuti. Partim vero aiunt firmamenti esse partem continuatam atque latam aliis cœli partibus densiorem, minus tamen quam sidera, ita ut media quadam sit inter astra, et cœli corpus densitate. Candorem autem illum esse lumen Solis, quo sicuti alia sidera, ut ipsi credunt illuminantur.

“Divino vero vir ingenio, amicus noster Telesius putat, lacteum circulum, supremi cœli esse portionem, quæ vel eandem Lunæ sortita dispositionem, Lunæ ritu, Solis ad nos remittat lucem vel paululum quid magis, quam Lunam in se ipsam conspissatam, per se visibilis est, lucidaque”.

Nos autem quid nam de tam magna, atque ardua quæstione, audebimus profari? Aut efferre? Audendum namque est aliquid, neque a nostris principiis atque demonstrationibus iam peractis est recedendum. Itaque dicamus, hunc circulum. (si tamen circulum, aut cingulum est, vel potius duæ sunt in æthere, nequaquamque circulari, viæ, sese extremitatibus iungentes vel Empyrei, vel ætheris, vel æris esse necessario portionem. Æris non esse certo sunt argumento, eadem semper eius positio. Ab eisdem enim asterismis discedit numquam, Cassiopea, Cygno, Aquila, Sagittarii sagitta, Scorpii cauda, Centauro, Argo, Geminorum pedibus, Heniocho, et Perseo. Neque partes eius locos mutant, et eadem semper latitudine, quamvis alibi maiore alibi minore, conspicitur, et lucem clariorem hic, minus claram alibi numque variat. Res vero quæ in ære sunt, vel fiunt, in dies mutantur, et nulla certa obtinent loca, tam eæ quæ e vaporibus dicuntur generari, quam eæ quæ ab exhalationibus gignuntur, nubes, ignes varii, cometæ. Neque potuit Aristoteles rationabili ulla